



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

80. Triplex motivum ad humilitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Quot Trias in cælo texat perpende corollas ;
Pauperie fluxas abijce (b) lætus opes.

(a) Martyrium exigui temporis pana, & effusio sanguinis est, talis autem abrenuntiatio, continua quasi carnificina, & sui ipsius, suorumque omnium delectabilium profusio juxta illud: propter te mortificamur totâ die estimati sumus sicut oves occisionis. (b) Non sicut ille cui cum suorum bonorum abdicatio consuleretur abijt tristis, eò quòd haberet multas possessiones. Matt. 19. Sed

Felix qui potuit fallacem spernere mundum,

Vivere qui potuit cum cellâ, codice, claustro. Vide Pinchar. Vest. Nupt. l. 2. cap. 14.

SYMBOLUM 80.

Triplex motivum ad humilitatem juxta Bern. cogitando quid fuerimus, quid simus, quid erimus.

Antè quid? & quid nunc? quid postea? sperma fuisti,
Clausus adhuc utero foetor & horror eras.

Sed modò nec melior: nam sordens stercoris es vas,

Post modicum pulvis, vermis, & esca putris.

Ergo oriens, vivens, moriens adscribe Tri-uni,

Quidquid habes, gigni, quod fluit esse, mori.

Vide unde veneris & erubescere; ubi es, & ingemisce; quò vadis & contremisce. In sordibus generamur, in tenebris conforemur, in doloribus parturimur, nudi egredimur, & ploratu vivere incipimus: pulvis tamen sumus, & in pulverem revertemur. Quomodo superbire quispiam ausus fuerit? &c. Ambula ergo per Christi humilitatem, ut venias ad ejus aternitatem: Deus Christus, patria est, quò imus, homo Christus via est, qua' imus. Hujus via triplex tibi gradus sit. In primo agnosce vilitatem tuam ipse. In secundo, gaude contemptu tui ipsius ab alijs. In tertio, magnis etiam virtutibus, donis & honoribus non efferaris: in alto enim non altum sapere, sed humilibus consentire nil Deo charius ac apud homines est rarius. Hæc apud nostrum Pincharium S. Theod: Doct. quondam designatum Episc. Spiren. Vest Nupt. l. 2. de statu proficientium c. 11 ex S. Bern. & P. N. Augustino.

SYM-